

rationis tantum. Nec propter hoc impeditur: quin Christus sit vere et realiter filius Virginis matris, quia realiter ab ea natus est; sicut etiam Deus vere et realiter est dominus creaturae, quia habet realem potentiam coercendi creaturam; et tamen dominii relatio solum secundum rationem Deo attribuitur. Si autem in Christo essent plura supposita, ut quidam posuerunt, nihil prohiberet ponere in Christo duas filiationes, quia filiationi temporali subjiceretur suppositum creatum.

CAPUT CCXIII.

Quod oportuit Christum esse perfectum in gratia, et sapientia veritatis.

Quia vero, sicut jam dictum est, humanitas Christi se habet ad Divinitatem ejus quasi quoddam organum ejus, organorum autem dispositio et qualitas pensatur praecipue quidem ex fine, et etiam ex decentia, instrumento utentis; secundum hos modos consequens est ut consideremus qualitatem humanae naturae a Verbo Dei assumptae. Finis autem assumptionis humanae naturae a Verbo Dei, est salus et reparatio humanae naturae. Talem igitur oportuit esse Christum secundum humanam naturam ut convenienter esse possit auctor humanae salutis. Salus autem humana consistit in fruitione divina, per quam homo beatus efficitur: et ideo oportuit Christum secundum humanam naturam fuisse perfecte Deo fruentem. Principium enim in unoquoque genere oportet esse perfectum. Fruitio autem divina secundum duo existit, secundum voluntatem, et secundum intellectum: secundum voluntatem quidem Deo perfecte per amorem inhaerentem; secundum intellectum autem perfecte Deum cognoscentem. Perfecta autem inhaesio voluntatis ad Deum per amorem et per gratiam, per quam homo justificatur, secundum illud Rom. 3, 24: "Justificati gratis per gratiam ejus." Ex hoc enim homo justus est, quod Deo per amorem inhaeret. Perfecta autem cognitio Dei est per lumen sapientiae, quae est cognitio divinae veritatis. Oportuit igitur Verbum Dei incarnatum perfectum in gratia et in sapientia veritatis existere: unde Joan. 1, 14, dicitur: "Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis."

CAPUT CCXIV.

De plenitudine gratiae Christi.

Primo autem videndum est de plenitudine gratiae ipsius. Circa quod considerandum est, quod nomen gratiae a duobus assumi potest. Uno modo ex eo quod est gratum esse: dicimus enim aliquem alicujus habere gratiam quia est ei gratus. Alio modo ex eo quod est gratis dari: dicitur enim aliquis alicui gratiam facere, quando ei aliquod beneficium gratis confert. Nec istae duae acceptiones gratiae penitus separatae sunt. Ex eo enim aliquid alteri gratis datur, quia is cui datur, gratus est danti vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter quidem, quando ad hoc recipiens gratus est danti, ut eum sibi conjungat secundum aliquem modum. Hos enim quos gratos habemus, nobis pro posse attrahimus secundum quantitatem et modum quo nobis grati existunt. Secundum quid autem, quando ad hoc recipiens gratus est danti, ut aliquid ab eo recipiat, non autem ad hoc ut assumatur ab ipso. Unde patet quod omnis qui habet gratiam, aliquid habet gratis datum; non autem omnis qui habet aliquid gratis datum, gratus danti existit: et ideo duplex gratia distingui solet: una scilicet quae solum gratis est data, alia quae etiam gratum facit. Gratis autem dari dicitur quod nequaquam est debitum. Dupliciter autem aliquid debitum existit: uno quidem modo secundum naturam, alio modo secundum operationem. Secundum naturam quidem debitum est rei, quod ordo naturalis illius rei exposcit, sicut debitum est homini quod habeat rationem et manus et pedes: secundum operationem autem, sicut merces operanti debetur. Illa ergo dona sunt hominibus divinitus gratis data quae et ordinem naturae excedunt, et meritis non acquiruntur; quamvis et ea quae pro meritis divinitus dantur, interdum gratiae nomen vel rationem non amittant: tum quia principium merendi fuit a gratia: tum etiam quia superabundantius dantur quam merita humana requirant, sicut dicitur Rom. 6, 23: "Gratia Dei vita aeterna." Hujusmodi autem donorum quaedam quidem et naturae humanae facultatem excedunt, et meritis non redduntur; nec tamen ex hoc ipso quod homo ea habet, redditur Deo gratus; sicut donum prophetiae, miraculorum operationis, scientiae et doctrinae, vel si qua talia divinitus conferuntur. Per haec enim et hujusmodi homo non conjungitur Deo, nisi forte per similitudinem quamdam, prout aliquid de ejus bonitate participat; per quem modum omnia Deo simulantur. Quaedam vero hominem Deo gratum reddunt

et ei conjungunt; et hujusmodi dona non solum gratiae dicuntur ex eo quod gratis dantur, sed etiam ex eo quod hominem faciant Deo gratum.

Conjunctio autem hominis ad Deum est duplex. Una quidem per affectionem, et haec est per caritatem; quae quodammodo facit per affectionem hominem unum cum Deo, secundum illud 1 Corinth. 6, 17: "Qui adhaeret Deo, unus spiritus est." Per hoc etiam Deus hominem inhabitat, secundum illud Joan. 14, 23: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus." Facit etiam hominem esse in Deo, secundum illud 1 Joan. 4, 16: "Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo." Ille igitur per acceptum donum gratuitum efficitur Deo gratus qui usque ad hoc perducitur quod per caritatis amorem unus spiritus fiat eum Deo, quod ipse in Deo sit, et Deus in eo: unde Apostolus dicit 1 Corinth. 13, quod sine caritate cetera dona hominibus non prosunt: quia gratum Deo facere non possunt, nisi caritas adsit. Haec autem gratia est omnium sanctorum communis. Unde hanc gratiam homo Christus discipulis orando impetrans, dicit, Joan. 17, 21: "Ut sint unum, scilicet per connexionem amoris, sicut et nos unum sumus." Alia vero conjunctio est hominis ad Deum non solum per affectum aut inhabitationem, sed etiam per unitatem hypostasis seu personae; ut scilicet una et eadem hypostasis seu persona, sit Deus et homo. Et haec quidem conjunctio hominis ad Deum est propria Jesu Christi; de qua conjunctione plura jam dicta sunt. Haec etiam est hominis Christi gratia singularis quod est Deo unitus in unitate personae: et ideo gratis datum est, quia et naturae facultatem excedit, et hoc donum merita nulla praecedunt. Sed et gratissimum Deo facit, ita quod de ipso singulariter dicatur: "Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui," Matth. 3, 17.

Hoc tamen interesse videtur inter utramque gratiam: quod gratia quidem per quam homo Deo unitur per affectum, aliquid habituale existit in anima: quia cum per actum amoris sit conjunctio ista, actus autem perfecti procedunt ab habitu; consequens est ut ad istum perfectissimum habitum, quo anima Deo conjungitur per amorem, aliqua habitualis gratia animae infundatur. Esse autem personale vel hypostaticum, non est per aliquem habitum, sed per naturas, quarum sunt hypostases vel personae. Unio igitur humanae naturae ad Deum in unitate personae non fit per aliquam habitualement gratiam, sed per ipsarum naturarum conjunctionem in persona una. In quantum autem creatura aliqua magis ad Deum accedit, intantum de bonitate ejus magis participat, et abundantioribus donis ex ejus influenza repletur; sicut et ignis calorem magis participat

qui ei magis appropinquat. Nullus autem modus esse aut excogitari potest, quo aliqua creatura propinquius Deo adhaereat, quam quod ei in unitate personae conjungatur. Ex ipsa igitur unione naturae humanae ad Deum in unitate personae, consequens est ut anima Christi donis gratiarum habitualibus prae ceteris fuerit plena; et sic habitualis gratia in Christo non est dispositio ad unionem, sed magis unionis effectus: quod ex ipso modo loquendi, quo Evangelista utitur in verbis praemissis, manifeste apparet, cum dicit: "Vidimus eum quasi unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis." Est autem unigenitus a Patre homo Christus, in quantum Verbum caro factum est. Ex hoc ergo quod Verbum caro factum est, hoc effectum est ut esset plenum gratiae et veritatis. In his autem quae aliqua bonitate replentur vel perfectione, illud magis plenum esse invenitur ex quo etiam in alia redundat, sicut plenius lucet quod illuminare potest alia. Quia igitur homo Christus summam plenitudinem gratiae obtinuit quasi unigenitus a Patre, consequens fuit ut ab ipso in alios redundaret, ita quod Filius Dei factus homo, homines faceret deos et filios Dei, secundum illud Apostoli ad Galat. 4, 4: "Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus." Ex hoc autem quod a Christo ad alios gratia et veritas derivantur, convenit ei ut sit caput Ecclesiae. Nam a capite ad alia membra, quae sunt ei conformia in natura, quodammodo sensus et motus derivatur: sic a Christo et gratia et veritas ad alios homines derivantur: unde ad Ephes. 1, 22: "Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ejus." Dicit etiam potest caput non solum hominum, sed etiam Angelorum; quantum ad excellentiam et influentiam, licet non quantum ad conformitatem naturae secundum eandem speciem. Unde ante praedicta verba Apostolus praemittit, quod Deus "constituit illum," scilicet Christum, "ad dexteram suam in caelestibus supra omnem Principatum, Potestatem et Virtutem et Dominationem."

Sic igitur secundum praemissa triplex gratia consuevit assignari in Christo. Primo quidem gratia unionis, secundum quod humana natura nullis meritis praecedentibus hoc donum accepit ut uniretur Dei Filio in persona. Secundo gratia singularis, qua anima Christi prae ceteris fuit gratia et veritate repleta. Tertio gratia capitis, secundum quod ab ipso in alios gratia redundat: quae tria Evangelista (Joannes cap. 1) congruo ordine prosequitur. Nam quantum ad gratiam unionis dicit: "Verbum caro factum est," quantum ad gratiam singularem dicit: "Vidimus eum quasi unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis," quantum ad gratiam capiti subdit: "Et de plenitudine ejus nos omnes accipimus."

CAPUT CCXV.

De infinitate gratiae Christi.

Est autem proprium Christi quod ejus gratia sit infinita; quia secundum testimonium Joannis Baptistae, non ad mensuram dat Deus spiritum homini Christo, ut dicitur Joan. 3; aliis autem datur spiritus ad mensuram, secundum illud ad Ephes. 4, 7: "Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi." Et quidem si hoc referatur ad gratiam unionis, nullam dubitationem habet quod dicitur. Nam aliis quidem sanctis datum est deos aut filios Dei esse per participationem ex influentia alicujus doni: quod quia creatum est, necesse est ipsum, sicut et ceteras creaturas, esse finitum: sed Christo secundum humanam naturam datum est ut sit Dei Filius non per participationem, sed per naturam. Naturalis autem divinitas est infinita. Ex ipsa igitur unione accepit donum infinitum: unde gratia unionis absque omni dubitatione est infinitum.

Sed de gratia habituali dubium esse potest, an sit infinita. Cum enim hujusmodi gratia sit etiam donum creatum, confiteri oportet quod habeat essentiam finitam. Potest tamen dici infinita triplici ratione. Primo quidem ex parte recipientis. Manifestum est enim uniuscujusque naturae creatae capacitatem esse finitam: quia etsi infinitum bonum recipere possit cognoscendo et fruendo, non tamen ipsum recipit infinite. Est igitur cujuslibet creaturae secundum suam speciem et naturam determinata capacitatis mensura, quae tamen divinae potestati non praejudicat quin possit aliam creaturam majoris capacitatis facere. Sed jam non esset ejusdem naturae secundum speciem; sicut si ternario addatur unitas, jam erit alia species numeri. Quando igitur alicui non tantum datur de bonitate divina quanta est capacitas naturalis speciei suae, videtur ei secundum aliquam mensuram donatum. Cum vero tota naturalis capacitas impletur, non videtur ei secundum mensuram donatum: quia etsi sit mensura ex parte recipientis, non tamen est mensura ex parte dantis, qui totum est paratus dare; sicut¹ aliquis vas ad fluvium deferens, absque mensura invenit aquam praeparatam, quamvis ipse cum mensura accipiat propter vasis determinatam quantitatem. Sic igitur gratia Christi habitualis finita quidem est secundum essentiam, sed infinite et non secundum mensuram dari dicitur: quia tantum datur, quantum natura

¹ Al. si aliquis.

creata potest esse capax. Secundo vero ex parte ipsius doni recepti. Considerandum enim est, quod nihil prohibet aliquid secundum essentiam finitum esse, quod tamen secundum rationem alicujus formae infinitum existit. Infinitum enim secundum essentiam est quod habet totam essendi plenitudinem: quod quidem soli Deo convenit, qui est ipsum esse. Si autem ponatur esse aliqua forma specialis non in subjecto existens, puta albedo vel calor; non quidem haberet essentiam infinitam, quia essentia ejus esset limitata ad genus vel speciem; sed tamen plenitudinem illius speciei possideret: unde secundum rationem speciei, absque termino vel mensura esset, habens quicquid ad illam speciem pertinere potest. Si autem in aliquo subjecto recipiatur albedo vel calor, non habet semper totum quicquid pertinet ad rationem hujus formae de necessitate et semper; sed solum quando sic perfecte habetur, sicut perfecte haberi potest; ita scilicet quod modus habendi adaequet rei habitae potestatem. Sic igitur gratia Christi habitualis finita quidem fuit secundum essentiam: sed tamen dicitur absque termino et mensura fuisse, quia quicquid ad rationem gratiae poterat pertinere, totum Christus accepit. Alii autem non totum accipiunt, sed unus sic, alius autem sic: "divisiones enim gratiarum sunt," ut dicitur 1 ad Corint. 12, 4. Tertio autem ex parte causae. In causa enim quodammodo habetur effectus. Cuicumque ergo adest causa infinitae virtutis ad influendum, habet quod influatur absque mensura, et quodammodo infinite: puta si quis haberet fontem qui aquas in infinitum effluere posset, aquam absque mensura et infinite quodammodo diceretur habere. Sic igitur anima Christi infinitam et absque mensura gratiam habet ex hoc ipso quod habet Verbum sibi unitum, quod est totius emanationis creaturarum indeficiens et infinitum principium.

Ex hoc autem quod gratia singularis animae Christi est modis praedictis infinita, evidenter colligitur quod gratia ipsius secundum quod est Ecclesiae caput, est etiam infinita. Ex hoc enim quod habet, effundit: unde quia absque mensura spiritus dona accepit, habet virtutem absque mensura effundendi: quod ad gratiam capitis pertinet: ut scilicet sua gratia non solum sufficiat ad salutem hominum aliquorum, sed etiam totius mundi, secundum illud 1 Joan. 2: "Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; et non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi." Addi autem et potest plurium mundorum, si essent.